

Leistungskurs Bayern 1989

Ungewöhnlicher Trost für eine ungewöhnliche Frau

(Sen., Ad Helviam matrem de consolatione 17,2ff.)

Der Philosoph Seneca versucht, seiner Mutter über den Schmerz hinwegzuhelfen, den seine Verbannung bei ihr ausgelöst hat.

Melius est vincere dolorem quam fallere (1); nam qui delusus et voluptatibus aut occupationibus abductus est, resurgit et ipsa quiete impetum ad saevendum colligit; at quisquis rationi cessit, in perpetuum componitur (2).

Non sum itaque tibi illa monstraturus, quibus usos esse multos scio, ut peregrinatione te vel longa detineas vel amoena delectes, ut rationum accipiendarum (3) diligentia, patrimonii administratione multum occupes temporis, ut semper novo te aliquo negotio implices: omnia ista ad exiguum momentum prosunt nec remedia doloris, sed impedimenta sunt. Ego autem malo illum desinere quam decipi.

Itaque illo te duco, quo omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum est, ad liberalia studia: illa sanabunt vulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi evellent. His etiam si numquam assuesses, nunc utendum erat; sed quantum tibi patris mei antiquus rigor permisit, omnes bonas artes non quidem comprehendisti, attigisti tamen. Utinam quidem virorum optimus, pater meus, minus maiorum consuetudini deditus voluisset te praeceptis sapientiae erudiri potius quam imbui! Non parandum tibi nunc esset auxilium contra fortunam, sed proferendum.

Propter istas (4), quae litteris non ad sapientiam utuntur, sed ad luxuriam instruuntur, minus te indulgere studiis passus est. Beneficio tamen rapacis ingenii plus quam pro tempore hausisti: iacta sunt disciplinarum omnium fundamenta.

Nunc ad illas revertere! Tutam te praestabunt. Illae consolabuntur, illae delectabunt; illae si in animum tuum intraverint, numquam amplius intrabit dolor, numquam sollicitudo, numquam adflictationis irritae supervacua vexatio. Nulli horum patebit pectus tuum. Nam ceteris vitiis iam pridem clusum est. Haec quidem certissima praesidia sunt et quae sola te fortunae eripere possint. (248 Wörter)

-
- | | | |
|-----|-------------------|--|
| (1) | fallere | hier: verdrängen |
| (2) | componere | hier: beruhigen |
| (3) | rationes accipere | sich Rechnung legen lassen, buchführen |
| (4) | istas | ergänze: feminas |